# QUÆSTIO MEDICA,

## PRO BACCALAUREATU

## MANE DISCUTIENDA;

In almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ

## PRÆSIDE

Illuſtriſſimo viro R. D. JOANNE CHASTELAIN, Regis Conſiliario & Medico, nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo, ac Decano plurimùm venerando.

## SUB HAC VERBORUM SERIE.

*An Phthiſi Pulmonari mutatio aëris?*

PHTHISIM tractaturus paucis in limine duco notandum, illam in genere in atrophiâ, aut corporis extenuatione, quacumque ex causâ introductâ, conſiſtere. Quoniam verò univerſarum phthiſcos ſpecierum exacta deſcriptio præfixos Theſeos limites excedit, hîc tantùm in ſpecie de eâ corporis extenuatione ſeu atrophiâ, quæ à vitio pulmonum provenit, & phthiſis pulmonaris dicitur, agemus, ejuſdemque naturam & curationem breviter tractabimus.

Hæc autem ſpectato nomine, optimè definitur, extenuatio totius corporis, quæ ulcus, abceſſum, aut tubercula pulmonum mollia, & febrem lentam ex illis ortam conſequitur.

Malè dividitur à quibuſdam in imminentem, incipientem, & confirmatam, ſiquidem phthiſis imminens haudquaquam phthiſeos nomine inſigniri poteſt,

undè meliùs illam distribuimus in incipientem, & confirmatam, in quibus scilicet genuini phthiseos characteres se produnt; fatendum tamen primam divisionem apud practicos levioris momenti non esse, quandoquidem phthisi imminenti occurrendo, occurritur quoque incipienti, & confirmandæ.

Mos etiam invaluit apud medicinæ principes, eam in primariam & secundariam distribuere, nos ut nobis ubique constemus & aliquatenùs eorum vestigiis insistamus, primariam vocamus, non eorum more illam tantùm, quæ solùm ab ulcere pulmonum, verùm etiam illam quæ ab abcessibus aut tuberculis mollibus procedit, & secundariam cum omnibus, quæ ab aliis morbis præcedentibus v. g ab anginâ, peripneumoniâ, aliisque benè multis dependet; cùm tantorum virorum bonâ veniâ, etsi phthisis pulmonaris à solo pulmonum ulcere immediatè oriretur, minùs exacta esset ipsorum divisio, omne enim ulcus præsupponit solutionem continui, quæ formalem morbi rationem sibi vendicat.

Veteres plerùmque originem mali catharris à capite ad asperam arteriam & hinc in pulmones defluentibus adscribere non dubitarunt, verùm minùs rectè, siquidem ex observationibus Anatomicis constat, nihil seri à cerebro per glandulam pituitariam in pectus aut palatum, sed per peculiares ductus ad venas jugulares defferri.

Causam immediatam hujus mali quòd spectat, consistit hæc in miasmatis salinis heterogeneis, quæ sanguini pulmones præterfluenti ab abcessu, ulcere, aut tuberculis mollibus suppeditantur, undè necessariò fit motus febrilis, à quo carminantur sulphura, serum dissipatur & extricantur salia, sicque succus nutritius acrimoniam contrahit, & phthisis oboritur.

Inter causas antecedentes recensentur materiæ acres & corrosivæ, quæ interdùm cum aëre inspirantur, ut sunt effluvia corrosiva & contagiosa, materiæ chimicæ, calx &c. Modò etiam cum alimentis ingeruntur, & unà cum chylo sanguini affunduntur, moxque cum humore tracheali aut bronchiorum unitæ, pulmonum exulcerationem efficiunt, hinc ab esu leporis marini excitatur phthisis, ut testis est Fernelius.

Ut plurimùm tamen talis materia in sanguine existit, sive acida sit, sive alcalina, vel ex his ambobus conflata, undè fibræ pulmonares discinduntur, canaliculi & tubuli disrumpuntur & sanguis & lympha, imò & ipsæ partes solidæ in pus vel saniem corrodentem transmutantur.

Materia hæc modo est lympha acris & mordax, modò sanguis extravasatus & corruptus, ut accidit à sanguinis sputo, peripneumoniâ, aut pulmonis vomicâ introrsùm ruptâ, ubi à vasorum dilatatione & rupturâ fiunt tumores à distendentibus, putrefactiones ab extravasatis vel stagnantibus humoribus, quod, ut exponamus, nostri jam postulat ratio instituti.

Quamdiù nimirùm in machinâ nostrâpneumatico-hydraulicâ solidas inter & fluidas partes debitum servatur æquilibrium, ita ut sanguis quantitate & impetûs momento, cùm vasorum ambientium capacitate, tono, elatere, hydrostaticè respondeat, sanguinem motu æquali & libero à corde tanquam à centro ad corporis peripheriam, & ab hâc vicissim ad centrum inoffenso cursu circuire necesse est.

Quam primùm verò mutua illa sanguinem inter & vasa proportio tollitur, ita ut ob partem alicubi obstructam, vel spasmodicè contractam, sanguinis in aliis partibus copia & impetus augeantur, mutari quoque sanguineæ circulationis æquilibrium oportet: cùm enim sanguis systole cordis ejectus aortæ ramis omnibus proportione debitâ sit commensuratus, ab iis major copia ob resistentiam & spatii deffectum excipi non potest, quare si quâ de causâ sanguinis cursus alicubi impeditur, necessariò fit expressio ad vasa magis libera, quibus si pondere & orgasmo vim faciat, eorumque resistentiam superet, quâ data via forás erumpet, quemadmodum in ingentibus aquarum eluvionibus fortè contingit in macrocosmo, cùm nimirùm subterranei aquarum vortices à jugi maris reffluentis & affluentis pressione propulsi, & per consuetos ductus ut potè obstructos transire nescii, vorticoso motu reffluunt, & per alios apertos canales impetuosè sese præcipitando, exitiosa hinc inde diluvia terris infundunt.

Dum etiam quantitate excedit sanguis, defficiunt ob nimiam pressionem à suo elatere partes solidæ, à quo potissimùm juvatur cursus fluidorum, in angustioribus maximè tubulorum mæandris intercipitur, unde congestiones, ruptiones, extravasationes.

Neque sanguinem aliosque humores præcisè quantitate, qualitate, aut quantitate & qualitate simul, semper phthisim minari statuimus, nisi ad vasorum apertionem à sanguine extravasato & stagnante accedat inflammatio, erosio, putredo, febris; non rarò etiam fit suppressâ evacuatione aliquâ aut opprimente in vasis pulmonis sanguinis fervidissimi copiâ, suppressus enim tunc sanguis & ab effluxu prohibitus aliquandò concrescit & vasa disrumpit, aliquandò acrimoniam celerrimè contrahit, sæpissimè etiam diabrôsis, idest vasorum ipsiusque pulmonum substantiæ erosio acris humoris extravasati soboles, maximè si corporibus infirmis cachecticis aut inveteratâ viscerum atoniâ infarctu laborantibus accidit, phthisi ansam præbere solet, nisi ociùs deterso & ad cicatricem perducto ulcere fluxio sistatur.

Humoris quoque trachealis per glandulas nimiâ quantitate secretio & acrimonia á salium nunc volatilium nunc fixorum excessu orta, præternaturales ejusmodi fluxiones fovere, efficere, & augere solet.

Ad quod multùm conducit vitium prædictarum glandularum, quandò v. g. pori ac tubuli justo ampliores redduntur, vel à flacciditate fibrillarum in tubulis existentium, vel â connatâ aliquâ dispositione flacciditatem fibrillis pororum præcipuè inducit, sive humoris affluentis copia, sive deffectus spirituum animalium, propter quem prædictæ fibræ tono suo ita orbantur, ut particulis circulationis ope appellere consuetis, ampliùs resistere non valeant.

Tandem serum copiosum in masså humorali abundans, sicubi eam fuerit nactum texturam, ut faciliùs per glandulas bronchiales, quàm per alias quasvis transcolari queat, amplitudinem quoque pororum & ductuum efficere debet, quatenùs guttæ illæ serosæ ac lymphaticæ, à continuò succedentibus aliis in suæ secretionis negotio jugiter protrusæ, portas magis

pandunt, viasque consuetas plus distendunt. Cui causæ remotæ insensibilis transpiratio retenta, occasionem aliquandò præbere potest.

Quòd, si lympha in glandulis pulmonaribus secernenda, glutinosa, tenax, & viscida sit, ita ut tubulos glandulasque oppleat & infarciat, fient tubercula quæ pro majore aut minore materiæ crassitie, nunc duriora nunc molliora existent, undè crescente intestino particularum motu præterfluenti sanguini suppeditantur miasmata quæ fermentationis luctam cum salibus heterogeneis ineunt, & phthisim producere apta nata sunt.

Si verò lympha etiamnùm per glandulas secreta fibrillas quandòque nervosas pungat, hincque tubuli excretorii (accedente forsan simul externi aëris frigore, aliâve causâ occasionali) constringantur, tum moram trahente lymphâ, tubercula in spongiosâ pulmonum substantiâ efflorescunt, nisi humor stagnans tubulorum excretoriorum ostiola ui quàdam perrumpat, atque ita sibi exitum paret, sin verò lympha magis acris & corrosiva fuerit, tum pulmonum corrosionem & exulcerationem efficiet.

Remotissimas causas arbitramur abusum rerum non naturalium, talis est potus frigidus copore præcipuè calenti ingestus, qui fibras subitò constringendo, & sanguinem coagulando inæqualem sanguinis circulationem reddere, & phthisim modo hactenùs descripto concitare potest.

Motus corporis vehemens quo sanguis fortiter exprimitur è canaliculis & meatibus partium solidarum oscillantium in canaliculos & meatus aliarum partium pariter oscillantium, undè sicubi in angustioribus tubulis lateat quædam obstructio à plethora, cacochymia, tumor, spasmus, sanguis liberè moveri impotens, cùm impetu eò pellitur, ubi amplius spatium suppetit, & minor adest resistentia ex legibus motûs hydraulicis, sic vasa pneumatica facilè rumpi posse neminem latet.

Potest etiam sola sanguinis quantitas, turgescentia à nimio corporis motu, vino copioso, spirituoso assumpto, animi pathematis, &c. introducta corpore cæteroquin sano phthisim efficere, quatenùs sanguis in minimos tubulos impulsus copiâ & impetu seipsum impedit & ibidem obice facto subsistit, cùm è contra si lentè procederet facillimè flueret, etiam per exilissimos tubulorum anfractus, non secùs, ac contingit in densâ hominum turbâ dum per portam unà omnes transire omni opera contendunt, agmine præ foribus constipato, exitus universis præcluditur, quorum singulis modestè exeuntibus nullum esset impedimentum.

Vigiliæ nimiæ serum sanguinis absumunt & acriorem reddunt, item lucubrationes nocturnæ frequentiores, accedunt fuligines candelarum nimiùm inspiratæ, à quibus oscula ductuum excretoriorum adstringuntur & sanguis crassior redditur, undè similem effectum sortiuntur.

Inter animi pathemata contribuunt ira, gaudium, terror, metus, & tristitia moderationis limites excedentia, quoniam coctiones atque secretiones labefactant, & sanguinem obstructioni aptum aut acrem reddunt.

Antecedunt quandòque ex rebus præternaturalibus hæreditaria vel adventia pulmonum atonia & debilitas, eorumque mala conformatio, cùm pleurâ cohæsio, huc spectant collum oblongum, scapulæ alarum instar pro-

minentes, pectus angustum & depressum, vox clangosa item vociferatio, cantus musicus, suppressio hæmorragiæ narium, mensium, hæmorrhoidum, scabies, exanthemata retropulsa, hypocondriaca, scorbutica affectio, cachexia, rheumata, internarum partium inflammationes, variolæ, morbilli, contusiones, casus ab alto, quemadmodum observationes practicæ cadaverum phthisi defunctorum sectiones, & quotidiana experientia satis testantur.

Juvenes mediæ ætatis præ aliis obnoxii sunt huic affectui; ab anno 18. ad 35. quos tabi opportunos asserit Hyp. Aphor. 9. sect. 5. *Tabes iis maximè ætatibus fit, quæ ab anno decimo octavo sunt ad trigesimum quintum*, ratio est quia tunc vasa incrementi apicem adepta, ulteriori productioni suæ resistunt, dum interim cruoris adaugentur copia, acrimonia & impetus; cùm autem in pueris laxior sit corporis externi habitus, major fit sanguinis expressio à centro ad peripheriam & ob minorem hic resistentiam sanguis erumpit ex arteriolis & venulis per tunicam narium dispersis; dùm verò firmior evadit vasorum structura magisque vividus fibrarum cutanearum tonus in juvenibus, *ex quo sollicitat tenerum jam pronuba flamma pudorem*, & vocem asperiorem edere cæperunt puberes, densiori redditâ superficie corporis ab extrò introrsùm magis refluit sanguis, ubi à vehementioribus exercitiis, vino assumpto spirituoso, irâ, amore, aliisque orgasticè commotus, per pulmones erumpit, quorum spongiosa substantia, & à continuis agitationibus fatigata humorum orgasmo, minùs ac aliæ partes resistit. Postquàm tandem defervescit juvenilis impetus, & à negotio ad otium, à motu ad quietem seu vitam sedentariam componitur corpus in viris & senibus, difficilior fit fluidorum circuitus per universa viscera, quæ per hæmorrhoides internas aut externas sanguine superfluo, plerùmque tamen in provectâ ætate, exonerantur.

Hyeme & vere ineunte potissimùm, fiunt phthises; aër enim hybernus & frigidus, fibras cutaneas spasmodicè contrahendo, facit ut major fiat repulsio sanguinis à superficie ad centrum: cùmque idem aër frigidus respiratione hanstus tenerrimam pulmonum substantiam constringat humoresque inspisset fit seri ac lymphæ expressio, sanguinis coagulatio, & vasorum pulmonarium apertio.

Ast verò ineunte vere dum aër magis incalescit, principia fermentativa crassa & in sanguine per hyemem coacervata, in motum concitantur, & sanguis acrior redditur, hinc facillimé in laxatâ adhuc pulmonum compage contingunt ruptiones, extravasationes, corrosiones.

Symptomata quod spectat, ea facilè ex assignatis causis deduci posse arbitramur. Et 1°. Quidem fit totius corporis consumptio, quia major fit dissipatio quam restauratio, propter febris æstum, & deffectum aut corruptionem succi nutritii, quoniam contaminantur fermenta à miasmatis ab ulcere aut tuberculis effluentibus, & salibus acribus in sanguine latitantibus, hinc succus nutritius acrior factus, exedit atque abradit potiùs gelatinam partibus appositam.

Febris dependet à miasmatis ab ulcere, abcessu, aut tuberculis pulmonum emanantibus, quæ texturæ sanguinis, cùm sint aliena, cùm corpus-

culis in sanguine contentis concurrunt & congrediuntur, sicque motum febrilem excitant.

Febris est lenta, quia miasmata ab ulcere, abcessu, aut tuberculis pulmonum, sanguini suppeditata in minori sunt copiâ, quam ut fermentationem sanguinis multùm intendere possint.

Horrorem duabus à pastu horis supervenientem, deducimus à sero salso membranas irritante & spirituum animalium influxu in fibras musculosas; chylus enim affusus sanguini fermentationis motum obtundit & sanguinem coagulat, hinc serum expressum in membranas irruit, eas lacessit & spiritus ad refluxum & influxum cogit.

Pulsus parvus repetitur à modicâ quantitate cruoris singulis contractionibus à sinistro cordis ventriculo in aortam propulsi, ob minorem energiam fluidi cordis motivi, ad contractiones totales exercendas.

Pulsus etiam debilis est, quia cor debiliter contrahitur; quoniam verò cor suo elatere citò sese restituit ob celerem hujusce fluidi discussionem, aliaque ejusdem portio prestò est ad systolem denuò incohandam, hinc pulsûs frequentia, ad breves vibrationes breve tempus requiritur.

Tussis provenit ab irritatione membranæ tracheæ arteriæ & bronchiorum inductâ à salibus à pulmonibus elevatis, aut cùm humore tracheali sequestratis, undé propter refluxum spirituum ad emporium & influxum in musculos expirationi dicatos, excitatur convulsivus thoracis motus, & tussis quæ pro diversitate materiæ per tussim ejectæ, nunc purulenta, nunc sanguinolenta, modo lymphatica, vel dum nihil ferè ejicitur, sicca vocatur; purulenta est tussis quandò pus è vesiculis pulmonaribus unà cum aëre expellitur, sanguinolenta dum sanguis extravasatus sursùm fertur, lymphatica, quandò serum lymphaticum propter infarctum pulmonum in vesiculas demissum è pulmonibus evolvitur, denique inter tussiendum nihil ferè ejicitur, dum materia excernenda propter tenacitatem vim aëris eludit, aut propter tenuitatem sub formâ vaporis elevatur.

Adest difficultas respirandi quia propter pulmonum infarctum & compressionem vesicularum denegatur aëri ingressus, hinc thorax difficulter attollitur; illa verò per intervalla intenditur prout sanguinis motus & crassities à rebus non naturalibus augetur, accidente etiam imbecillitate virium, pectoris gravitas contingit.

Decidunt capilli quoniam eroduntur radices à succo quo nutriuntur nimis acri.

Incurvantur ungues à retractis fibris, consumptis videlicet partibus carnosis unguibus subjectis.

Supervenit diarhæa, quoniam humores acres & mordaces à sanguine deliquium passo unà cum fermento per glandulas intestinales secernuntur, atque à cruditatibus in primis viis fibræ nerveæ irritantur, sicque intestina ad crebras & vehementiores contractiones peristalticas, à spiritibus influentibus in fibras eorum orbiculares adiguntur.

Convulsiones aut motus convulsivi repetantur ab irregulari influxu spirituum in partes, propter irregularem mixtionem partium heterogenearum in

tempore, hinc expansio inæqualis, quam similiter influxus inæqualis sequitur.

Urinæ interdùm rubent ob diuturnum sanguinis æstum; oleaginosæ evadunt à colliquatâ pinguedine unà cum lotio secretâ; si verò urinæ aliquando observentur purulentæ, ut nonnulli referunt authores, pus circulationis ope, per glandulas renales excerni necesse est.

Intumescunt pedes, quoniam defficiente partium tono ob spirituum penuriam & minorem cordis vim ad sanguinis è partibus infernis reductionem, iste in ipsis stagnat & serum dimittit in interstitia fibrarum musculosarum.

Genarum rubor à sanguine, in cutis suprà os malum extensæ textu, hærente, eoque in suis globulis valdè diviso & proindè rutilo, dependet; hæret autem potissimùm hâc in parte sanguis ob tensionem cutis supra os malum, in umbonem quasi ipsam elevans, ejusque per consequens vasa nimis in marcore phthisico comprimens.

Lipothymia vel à depauperato sanguine phthisicorum particulis spirituosis, vel ab eodem identidem à primarum viarum cruditatibus subitò inspissato deduci potest.

Sanguis enim phthisicorum ob intensam quam passus est & actu patitur fermentationem, particulis volatilioribus suis depauperatur, quare vel levi accedente causâ residuas partes spirituosas deprimente, quales sunt ut plurimùm cruditates primarum viarum, vel mox prægressi paroxismi vehementes, ejus motus intestinus & proinde circulatorius, saltem pro momento sisti debet, ut patet ex physiologicis.

Sitiunt ægri propter ariditatem faucium & linguæ, nec-non salivæ salsedinem, quæ oriuntur ab æstu febrili & halitibus ubertim è pulmonibus erumpentibus. A corruptione humorum graveolentia halitûs emergit.

Oculi fiunt concavi quoniam abrasâ aut resolutâ pinguedine à propriis musculis abbreviatis retrahuntur, concidunt proindè atque minùs protuberant.

Exasperatur febris nocturno tempore propter aëris frigus & humiditatem quibus constipantur corporis pori & coërcetur insensibilis transpiratio; accedit quod sanguis noctu minùs ventiletur & depuretur ob mutationem aëris & imminutam ejus virtutem elasticam, hinc magis accumulatur, calefacit, & attenuat materiam hærentem, à quâ suppenditantur salia heterogenea quæ febrem intendunt.

Sudores noctu emanânt copiosi, quia remittente fermentatione serum per glandulas Cutaneas præ calore inhiantes foràs erumpit.

In mortis procinctu remittit Calor, pediculorum Rudimenta, haud destruuntur, Sed potiùs ad maturitatem perducuntur, hinc uberior illorum animalculorum genesis.

Diagnosis. Quibus phthisis proximè imminet de virium labefactatione conqueri solent, cum appetitu plus minùs dejecto, in artubus substantiæ carnosæ flaccescentiâ, item tussi siccâ & sapore in ore salso præsertim verò manè, & progrediente malo putrido,

Incipiente phthisi tussis exasperatur præcipuè vesperi aut post lecti introitum, invadit frebris lenta, marcescit Corpus, magisque incalescit à pastu; cum pulsu semper celeriori & plus minùs parvo.

In phthisi confirmatâ ægri difficiliùs respirant, tussis adhùc magis ingravescit, vesperi minùs, plùs manè excreatur materiæ, quæ modò flavescit, modò livescit, quandòque non nihil fœtet, & tandem tota purulenta evadit, febris etiam intenditur, majorque fit colliquatio & corporis consumptio.

In deploratâ denique phthisi symptomata omnia invalescunt, Capilli decidunt, ægri inter dormiendum sudore diffluunt, & demùm diarrhæâ vel hydrope aut pulmonum infarctu è medio tolluntur.

Ex signis modò allatis facilè signa pathognomonica elici possunt, ubi individui illius comites occurunt, nimirùm tussis frequens, respiratio difficilis, corporis emaciatio, & febris lenta.

Omnia verò signa superiùs allata eodem numero & ordine haud observantur, Sed in aliquibus plura in aliis pauciora deprehenduntur.

Sputa an sint purulenta, optimè dignoscitur. 1°. ex deffectu cohæsionis staminum ex quibus compinguntur. 2°. ex ipsorum in aquâ præcipitatione. 3°. ex innato ipsis fætore.

Signa verò causarum feliciùs assequetur, qui & ægri temperamentum, & humorum Characteres, idque genus alia probè callucrit.

Prognôsim firmant consideratio causæ, durationis, effectûs, gradûsque mali, generaliter tamen loquendo omnis phthisis periculosa est, atque difficulter curationem admittit, præ cæteris autem hæreditaria periculum portendit; levissimam verò censemus illam quæ fit ab hæmoptoe per vim externam sine vitio interno præexistente; neque adeò periculosa nobis videtur instituenda prognôsis in eâ phthiseos specie à tuberculis mollibus ac in illâ quæ originem sumit a Sanguine acri atque dissoluto, in priori enim Sanguis est crassior atque ad diuturniorem fermentationem suscipiendam aptior, hinc affectus ille plerùmque est chronicus, atque sæpiùs in multos annos protrahitur; si verò superveniat Empyemati, semper insanabilis existit; omnis etiam phthisis, ut ab initio difficilis curationis, ita progressu temporis insanabilis est, illa autem in quâ subitò rumpitur vomica, expuitur pus album, coctum, æquale, facilè, respondens copiâ ulceri, sine siti, cum appetitu, digestione, secretione, & excretione bonâ, difficulter quidem, tamen sanari potest, è contra verò sputa gravia, olentia, dulcia cum signis ultimis sunt desperata.

Quod verò malum hoc fit grave, periculosum, ac curatu difficilè, in causâ sunt ulcus pulmonum, curatu difficillimum, tùm indè dependens febris lenta continua, & totius corporis consumptio, undè si hic affectus sit incipiens, spes aliqua est ægrum convaliturum, dùm verò confirmatus seu in secundo Gradu existit (præcipuè si dependeat à dispositione hæreditariâ) tunc de ægro conclamatum est.

Curatio. Si quo in alio morbo, certè in phthisi principiis obstandum, & rationali simul & experimentali methodo sucurrendum; perpensis itaque

hactenùs morbi causis, diagnôsi, & prognôsi, plures inde elicimus indicationes, sanguinem affluentem revellimus atque calorem hecticum & colliquativum minuimus tempestivâ venæ sectione, extravasatum discutimus, obstructiones reseramus, & morbidos humores excludimus per diaphoretica, diuretica, cathartica, & Emetica, expectoramus per Bechica, ulcerosam diathesim corrigimus per mundificantia, & balsamica, tandem opiatis pulmonum motum minuimus, sanguinis acrimoniam corrigimus, & præternaturalem illius fermentationem obtundimus.

Venæ sectio optimé fit initio antequàm facta sit pulmonum erosio, atque pro varietate subjectorum ac circumstantiarum interdùm repetenda est, prout corpus vel est juvenile vel senile & viribus constat, prout etiam sanguinis abundantia vel major vel minor, effervescentia febrilis impetuosior vel. remissior, & patiens evacuationibus magis vel minùs assuetus; cui scopo etiam fontanellæ inserviunt, quarum ope serum detrahitur & sanguis superstes minùs acer evadit.

Medicamenta verò quæ materiam peccantem & morbosam è corpore expellunt, sunt vomitoria, quæ in principio sæpé necessaria sunt, neque in ulcere pulmonum omitti debent; dum vires adhuc constant, ubi respiratio, aut materiæ excretio difficilis est, & viscera sunt firmiora, neque Pulmones corruptos præcessit sputum cruentum, unde liquet illud remedium ob conditiones allatas sæpissimé valdé suspectum esse.

Neque minùs tutò exhibentur cathartica nisi in principio ad materias contentas in primis viis educendas, à levissimo enim purgante, sæpé cum insigni virium jacturâ, & tussis uespertinæ exacerbatione copiosissimè evacuari solent phthisici, nunquàm enim materiam peccantem adeò educunt cathartica quin sanguinis acrimoniam adaugeant; si tamen laxans aliquod desideratur clysteres lenientes hoc optimè præstant, aut saltem rhabarbarum, manna, medulla cassiæ, syrupus cichorei cum rheo, vel rosarum solutiuus sufficiunt.

Inter diaphoretica non est contemnendi usûs decoctum radicis chinæ & sarsæparillæ, item Theriaca Andromachi, Mithridatium, Confectio Alkermes, Crocus, Lignum Sassaphras, Guayac: Santal: Citrin: vel Rubr: Antimonium Diaphoreticum & similia, quæ pro majore parte non solùm Diaphoretica verùm etiam diuretica ab authoribus censentur, atque felici cum successu præscribuntur, modò calor hecticus nondùm excedat.

Sunt & alia diuretica quibus utuntur practici, qualia sunt, aquæ minerales chalybeatæ, millepedes crudi & præparati, therebintina communis, item radices fæniculi, petroselini, eringii, helenii, eæque vel crudæ vel conditæ, bacc: juniperi, lauri, cancri fluviales, &c.

Nec defficiunt incrassantia è diureticorum frigidorum farragine ut plurimum petita, ut sunt amygdalæ dulces, semina quatuor frigida majora, minora, sem: malvæ & altheæ, fol: plantaginis, branchæ ursinæ, malvæ, flor: malvæ, borraginis, buglossi, violarum, his addantur composita, ut

C

mel simplex, violarum, syrupus altheæ, violarum, mororum, capillorum veneris, tabellæ variæ edulcorantes, ut tabellæ de althea, &c.

Sylvam etiam offert medicina remediorum expectorantium seu bechicorum, nec minûs ulcerosam sanguinis dispositionem corrigentium, quæ copiâ suâ tamen inopem sæpè reddunt medicum, & ex inani confictas in cerebro ejusdem indicationes sæpè destituunt, talia autem sunt syrupus de tussilagine, capill: vener: marrubio, hyssopo, jujub: butyrum non salitum, conserva rosarum rubrarum, pulvis antihecticus Poterii, sperma ceti &c.

Tandem sanguinis acrimoniam corrigunt ulcusque detergunt atque consolidant decocta vel infusiones ex herbis vulnerariis, ut sunt veronica, hædera terrestris, vinca per vinc: agrim: sanic: bellis: bugul: alchymill: rad: symphit: maj: millefol: taraxac: pilosell: scabios: item opobalsamum, balsamum tolutanum, peruvianum, & alia quamplurima quæ passim ab authoribus traduntur, & quorum formulis paginas implere supersedemus.

Unicum asilum, quo omnes practici refugiunt in phthisi confirmatâ lac est, attamen sedulò attendatur nùm ventriculus illud digerat, neque verò acescat, id quod facilè palàm fiet, si æger ex ejus usu nullam sentit ventriculi inflationem, nulla tormina, vel diarrhæam, aut ructus acidos.

Nec omittenda sunt opiata initio, ubi tussis nocturna sicca magis est, utpote quæ phthisici sine noxâ ferunt, diù verò eorum usus continuari debet. Si verò difficilis adest anhelitûs, ex materiâ viscidâ expectorandâ, tunc ne excretio sistatur, cautè usurpentur.

Diæta eam victûs rationem commendat, quæ causis superiùs adductis adversatur, undè ubi sanguis est acer & dissolutus, cibi sint modicè refrigerantes, incrassantes, atque tales, qui simul emplasticâ, seu glutinante virtute pollent, ut pote oriza, cremor hord: amylum cum lacte, potus ordinarius sit decoct: hord: cum liquirit: & passulis. Flor. Papau: & bellid: exhibeantur juscula capon: gallinar: cum simplicibus pectoralibus decocta; exulent verò vinum, cibi acres & salsi; nicotiana, motus nimius, vocis contentio, ira, terror, venus, & si quæ alia, quæ solida & fluida in heterogeneos motus abripere, eorumque tonum, crasin, & æquilibrium turbare apta sunt.

Quantùm etiam aëris mutatio conducat, veteres docuerunt, qui suos phthisicos ad Tabios mittebant, monticulum propè Neapolim in Italia, ob siccitatem aëris commendatum, & Angli adhuc hodierno tempore suos phthisicos ad peregrinationes suscipiendas, adhuc satìs robustos, in Galliam & Italiam mittunt, ut aërem Angliæ crassum & pluviosum, cùm sicco & calido illarum regionum permutent, & sanguis crassus & fæculentus purior reddatur; è contra verò qui sanguinem habent acrem & dissolutum pulmonesque rarioris texturæ, iis maximè convenit aër pinguis & aura urbium fumosa, ut sanguis deliquium passus à sulphuribus crassis consistentiam majorem accipiat, figatur, & sic pulmonum textura firmior

reddatur, unde talia loca valdè salubria ex multorum relatione, imo non rarò sanativa existunt: quid vetat itaque quin & ego non minùs antiquorum experientiis, quam neotericorum rationibus suffultus, concludam.

## *ERGO Phthisi Pulmonari mutatio aëris.*

## DISPUTATURI.

### *PROFESSORES REGII.*

R. D. Franciscus Chicoyneau *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Bezac *Vicedecanus.*
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Petrus Magnol.
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*

### *Doctores Aggregati.*

R. D. Henricus Haguenot.
R. D. Joannes Henricus Haguenot *Patris Coadjutor.*

### *Doctores Ordinarii.*

M. Mauritius Pelerin.
M. Eustachius Marcot.
M. Antonius Fizes.
M. Bartholomæus Pascal.

*Propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Appollinis Fano, Deo juvante & auspice Deiparâ*, Franciscus Philippus Josephus Vesperleder *Solodoranus Helvetius, die mensis Februarii Anno. R. S. H,* 1713. *ab horâ 8. ad meridiem.*

MONSPELII,
Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum 1713.